



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 1009. Quid sit circa actus alios extrajudiciales in locis sacris exercendos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

superioris & sine spe reedificationis, in quo casu omnia sua privilegia amittit, & definit esse locus sacer. Ita Tusch. l. c. n. 10. Decian. l. 6, c. 24. n. 27. Farin. in append. C. 17. n. 260. Ambrosin. l. c. C. 10. n. 3. Dian. p. 6. tr. 1. resol. 3. Pirh. h. t. n. 3. Barbol. de Jur. Eccl. l. 2. C. 3. n. 62. Marant. p. 2. resp. 35. n. 2. Delb. l. c. f. 5. contra Corream. in relat. de immunit. Eccl. p. 2. n. 10. & paucos alios. Et hæc posteriora de Ecclesia non asservante Eucharistiam, de Ecclesia polluta, interdicta, diruta potissimum in ordine ad immunitatem asyli.

2. Resp. secundo gaudet etiam immunitate, ut geri in iis nequeant actiones profanae & habitacula Ecclesiae adhaerentia, ut sacristia, Capella, ambitus, Porticus, atrium. Barbol. in C. 9. h. t. n. 7. Pirh. eod. n. 3. Tusch. V. Ecclesia. Concl. 10. n. 3. Delb. l. c. f. 6. n. 1. (quamvis is eadem in ordine ad immunitatem asyli designet) Reiffenst. h. tit. n. 1. § 2. & alii lumentes id ex Can. si quis in atriis & Can. Constitutum 17. q. 4. juncta Gl. V. adhaerentibus, ubi id in specie dicitur de atrio & Porticu Ecclesiae item ex L. pareant. C. de his, qui ad Eccl. & L. qua religiosi. ff. de R. V. ubi & ratio additur communis tam immunitati ab exercendis actibus profanis, quam immunitati asyli, dum dicitur, quæ religiosis adhaerent, etiam religiosa sunt. His non obstante, quod in locis memoratis effuso sanguine vel semine eadem non polluantur, cum ad effectum pollutionis utpote pœnalem & odiosum adeoque non extendendum & solus internus ambitus Ecclesiae spectetur, Secus quoad privilegium immunitatis utpote favorabile & gratiosum.

3. Resp. tertio eadem immunitate gaudet cæmeteria Ecclesiasticum, utpote universaliter gaudentia eisdem privilegiis, quibus Ecclesia. Arg. C. 5. h. t. Et ibi Abb. n. 5. cum communi & juxta C. fin. h. t. & C. 2. eod. in 6. ubi diserte dicitur: *Cessent in Ecclesiis earumque cæmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum ac fori cujusque tumultus: omnis in eis secularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis maxime agitur.* De pluribus aliis locis concernentibus specialiter immunitatem asyli dicitur in speciali sequentibus.

*Quest. 1008. An & qualiter igitur in prædictis locis prohibitum exercere actus judiciales?*

1. Resp. primo: in Ecclesia, cæmeterio aliisque locis tractare causas criminales, in quibus agitur de effusione sanguinis vel pœna corporali, prohibetur claro textu C. decet. h. t. in 6. ubi: *nulla inibi causa per laicos maxime criminalis agitur, & quidem sub interminatione anathematis C. cum Ecclesia. h. t. ubi addita etiam ratione dicitur: Ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in Ecclesiis & cæmeteriis agitare sub interminatione anathematis prohibemus. Absurdum enim est & crudele, ibi iudicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugii constituta.* Et ibi DD. communiter. Quam tamen excommunicationem non esse lætæ, sed ferendæ sententiæ, notat Gl. ibidem. V. anathematis. Continere tamen hanc læsionem immunitatis gravem culpam sacrilegii à iudice laico contractam, esseque tales processus criminales ac speciatim sententias iudicum secularium in talibus locis prola-

tas nullas, & carere omni robore firmitatis dicitur *cit. C. decet* & juxta illud Delb. C. 2. du. 3. f. 2. n. 2. remittens ad Suar. tom. 1. de religione L. 3. C. 4. à n. 12. Extendunturque hæc ipsa ad informationes judicarias summarias super delicto in iisdem locis à iudice seculari non faciendas; cum licet actus iudicarius perfectus non sit cum citatione partis, sit tamen actus inchoatus & lejusdem rationis, ac proinde sub eadem prohibitionem contentus. Delb. l. c. à n. 3. remittens ad Nav. de orat. horar. Can. C. 5. n. 40. Arg. *cit. C. decet.* dum ibi dicitur: *sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.*

2. Resp. secundo: Prohibentur quoque in iis locis exerceri actiones seu processus & sententiæ judiciales civiles sub eadem nullitatis pœna, dum *tit. C. decet.* dicitur *in Ecclesiis & c. secularium strepitus conquiescat.* Unde etiam *cit. n. 2.* deducit, idem dicendum de istiusmodi processibus civilibus ibi exercitis quoad gravem culpam sacrilegii, Dixi tamen: iudicia secularia, sententiæ & processus civiles à iudicibus secularibus exerceri ibidem prohibitum; quia iudicibus Ecclesiasticis permilium ibi cognoscere de delictis Ecclesiasticorum sententiam (puta excommunicationis, depositionis, excepta sententia sanguinis, desuper ferre, aliasque causas dijudicare. C. cum in Ecclesia h. t. C. relinquere. de Custodia Eucharistia. Gl. in C. cum Ecclesia V. effusione. Abb. in C. fin. de appell. n. 2. Delb. *cit. f. 1. n. 12.* quamvis tamen, ut cum Suar. l. c. n. 11. & Pirh. h. t. n. 7. Reiffenst. h. t. n. 14. decentius, convenientius & praxi hodiernæ conformius, ut etiam Ecclesiastica iudicia non in Ecclesia, sed extra illam v. g. in domo Episcopi, camera aliove loco commode fiant.

*Quest. 1009. Quid sit circa alios actus extrajudiciales in locis sacris exercendos?*

1. Resp. primo: Actus qui etsi cum strepitu iudiciali similitudinem aliquam habeant, judiciales tamen non sunt; quia non jurisdictionis contentiose sed voluntariæ sunt, etiam exerceri in locis sacris à secularibus illicitum non est, quia voluntariam jurisdictionem etiam secularem in Ecclesiis exercere nullo jure prohibitum reperitur. Tales v. g. actus sunt dispensatio pupillorum, provisio, electio, presentatio facta à laicis. Delb. l. c. n. 13. Collatio Doctoratus; vel magisterii communi etiam consuetudine approbante, utpote quæ collatio honestatem continet. Delb. l. c. Azor. L. citand. q. 4. Abb. in C. Ecclesia. h. t. n. 9. Suar. l. c. C. 4. num. 15. Item Disputationes & prælectiones publicæ; cum etiam scientia res sancta dicatur. L. 1. §. proinde. ff. de var. & extraord. Cognit. Azor. l. c. Pirh. h. t. n. 11. Item congregatio universitatum & facultatum literariorum, puta Philosophicæ, Theologicæ, Juridicæ, uti habet moderna praxis, tales congregations fieri in templis vel canobis Regularium, unde dum *cit. C. decet.* prohibentur in iis fieri universitatum & societatum quarumlibet Concilia, Conciones, & publica Parlamenta, id intelligendum, dum materia & tractatus talium Congregationum est omnino temporalis & secularis, Nav. de orat. C. 5. n. 35. Abb. l. c. Laym. L. 4. tr. 10. C. 7. n. 9. Suar. *cit. C. 4. n. 16.* Delb. l. c. 1. §. Secus, ut iidem, si agatur de rebus Ecclesiasticis ut fuit Synodi in quibus de statu & reformatione Clericorum aliisque ad pietatem spectantibus non prohibentur. Imo ludæ theatrales

ad pietatem conducentes nihil turpe continentes. Sylv. v. *immunitas*. modò tamen hæc fiant sine tumultu & strepitu & divina officia non impediatur. Delb. l. c. remittens ad Abb. in c. cum Ecclesia. num. 6. Nav. c. 5. de orat. n. 37. Azor. Tom. 2. l. 9. c. 9. g. 3. Laym. l. 4. tr. 10. c. 7. n. 9. Suar. l. c. n. 15. & alios.

Resp. secundò: prohibentur *cit. c. 2. h. t. in 6.* negotiationes) præcipuè nundinationes) & quilibet contractus usum politicum respicientes exerceri in Ecclesiis & cæmeteriis; sunt tamen tales contractus validi, cum in jure nullibi irritentur, uti irritantur judicia secularia ibi agitata; adeoque penalis hæc constitutio tanquam odiosa ad dictos contractus non est extendenda. Gl. in *cit. c. 2. v. processus*. Abb. l. c. Suar. l. c. n. 18. Pirh. h. t. num. 12. Etsi autem peccetur exercendo ibi contractus, non peccati tamen semper graviter, nec committi sacrilegium, sed tunc solùm, si adsit negotiatio, id est, expositio ad pluries contrahendum, cum vociferatione & tumultu; quia hæc tantùm perturbat divina officia multumque profanat Ecclesiam, etiam si, quæ venduntur fidelium pietati infervant, ut patet ex factò Christi Matth. 11. & Joan. 2. ejicientis è templo vendentes, tradit Delb. *cit. c. 2. du. 3. f. 7. num. 1.* cum Sylv. v. *negotiatio*, q. 2. quæ tamen perturbatio divinorum & profanatio Ecclesiæ, quia cessat, dum venditio fit in cæmeterio (cui etiam minor reverentia quam Ecclesiæ debetur) vel ad portam Ecclesiæ excusari vendentes & ementes à gravi sacrilegio, docet ibid. Delb. num. 4. & 5. citatis Nav. c. 5. de orat. Suar. Tom. 3. de Eucharist. d. 81. f. 8. verb. 2. Fagund. p. 2. de præcep. l. 4. c. 4. quin etiam posse esse tantum veniale, si contractus instituat in Ecclesia, merce alibi existente docent Cajet. v. *immunitas*. §. *discernendum*. Sotus l. 6. de iust. & jur. q. 2. a. 2. Molin. de iust. Tom. 2. d. 344. Suar. l. c. Medin. de rest. q. 30. v. quarto, Delb. l. c. num. 6. Idemque dicendum, si contractus venditionis fiat in Ecclesia per accidens (secus si Ecclesia per se & ex instituto eligatur ad venditionem, cum valde incedens sit domum dei facere domum negotiationis) v. g. in transitu vel recessu propter pluviam. Cajet. Suar. LL. *cit.* Delb. l. c. num. 8. de cætero si res vendendæ ad populi devotionem deserviant ut candelæ vel panes ad altare offerendi, toleratur in quibusdam locis tanquam honesta consuetudo ea dividendi in cæmeteriis, imò in ipsis Ecclesiis, si fiat sine strepitu & divini cultûs augendi gratiâ, tradunt Angel. v. *immunitas*. §. 9. Molin. l. c. &c.

Resp. tertio: *in cit. c. decet*, prohibentur quoque confabulationes otiosæ, vanæ multoque magis scædæ quæque, ut explicat apud Pirh. h. t. num. 12. Suar. quæ graves detractiones, jurgia & odia fovent. quæ, si in se sunt peccatum mortale, sacrilegii malitiam involvere, quia ob reverentiam loci graviter prohibentur, ait Delb. l. c. f. 6. n. 1. & 2. ac proinde hæc circumstantia, quod habitæ sint in loco sacro, addenda videtur in confessione, dicendo v. g. habui confabulationes scædas in Ecclesia, non secus, ac si ibi habitæ factus turpes vel oscula specificandum quod habitæ in Ecclesia; quod ipsum tamen communiter non admitti; cum sola, quibus polluitur Ecclesia in genere Luxurix, habeant circumstantiam sacrilegii necessariò confitendam, dicit Delb. l. c. f. 3. num. 6. & seq. citans pro hoc Cajet. Tom. 1. tr. 17. *responsion*, resp. 12. du. 1. Vasq. in p. 2. Tom. 1. q. 72. a. 6. d. 98. c. 3. n. 4. Pont. de mat. l. 10. c. 10. n. 15. Dian. p. 2. tr. 7. *resol.* 25. Quòd si tamen confabulationes sint honestæ & extra tempus divinorum officiorum sine scandalo fiant, eas etiam dampnare peccati venialis nimis durum videri ait Delb. l. c. f. 6. n. 2. Denique in genere illud hic notandum, quod astruit Idem l. c. f. 3. n. 1. nimirum quòd dictarum confabulationum solummodo vanarum, Conciliorum & contractuum politicorum & similia prohibito non sit ita rigorosa prohibitio, uti est processuum & sententiarum, ut exercitium illorum sacrilegium involvat, nisi fiat ex contemptu vel cum notabili impedimento divinorum officiorum.

*Quæst. 1010. an & qualiter ledatur immunitas localis Ecclesiæ violenter infringendo fores illius?*

Resp. violari illam hac ratione aut etiam rapiendo res illius, sumitur ex *can. omnes. can. sicut. can. quisquis can.* . . . q. 4. ubi transgressores non tantùm sacrilegi dicuntur, sed & excommunicantur ipso facto, si cum effractione fiat spoliatio. item *c. 22. de sent. excom.* & ibi gl. v. *excommunicatos*. uti etiam *cit. can. omnes juncta gl. v. consentiant*. habentur sacrilegi & iisdem poenis juris subjacent consulentes, mandantes, vel alio modo cooperantes ad istiusmodi violationem, ac ita tenent cum Suar. *cit. l. 3. c. 8. n. 3.* Pirh. h. t. num. 14. Reiffenst. num. 18. & alii communiter.

## CAPUT II.

### De immunitate asyli.

*Quæst. 1011. quæ loca gaudeant immunitate asyli?*

1. Resp. primò præter ea, quæ desuper dicta in præcedentibus de immunitate locali in genere, in specie applicando illa, aliaque addendo immunitati asyli, illius immunitate gaudent Ecclesiæ etiam pollutæ non reconciliatæ, interdixtæ, omniaque loca illis adhærentia secundùm dicta, item necdum perfecte constructæ, cum eo ipso, quod autoritate Episcopi constructi caperint, jam locus divinis officiis dicatus adeoque sacer est. Abb. in *c. Ecclesia*, h. t. n. 5. Anchar. num. 1. Sanch. de mat. l. 9. R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

d. 15. num. 39. Delb. c. 16. d. 9. f. 2. num. 1. gaudent quoque dicta immunitate asyli Ecclesiæ non solùm quòd ad ambitum internum, sed & quòd ad totam suam fabricam, puta tectum, fornicem, turres, parietes, extimas portas; quia hæc omnia veniunt significatione Ecclesiæ eique adhærentium intrinsecus vel extrinsecus; estque immunitas hæc asyli latè interpretanda, quia est privilegium per modum legis juri communi insertum, quod latam habet interpretationem. Item est causa pia & favorabilis Ecclesiæ, quæ per hoc non intendit impunitatem delictorum.

Z z z

aut